



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. X. An vnio materiæ & formæ terminetur subsistentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

tem in homine debere esse duas subsistentias, quia, si tantum sit vna, sequitur in morte illa destruendam, & aliam producendam de nouo pro anima separata, & aliam pro materia prima; unde fieret tanta multiplicatio subsistentiarum, quanta si vna perpetua esset in materia, & alia perpetua in animo, ergo. Respondeo facile, eam nouam productionem subsistentiae non vitari, etiam si constituantur duae simul in composito: nam saltem pro forma substantiali de nouo in materia producta debet noua produci subsistentia, quae simul cum altera, tenente se ex parte materiae, vnam integram constituat. Secundo respondeo, etiam si subsistentiae nouae productio vitetur, adhuc tamen non propterea in tuam sententiam abundum, quia magis repugnat, quando sufficit vna subsistentia, ponere duas actu distinctas, quam ponendo vnicam tantum, dicere, eam postea corrumpi, ipsa natura corrupta, & nouam cum noua resultare; hoc enim modo nihil ego vnquam do otiosum, aut sine necessitate productum, sicuti tu facis, dum duas ponis, quando sufficiebat vna. Tandem tu & ego debemus in hoc conuenire, scilicet animam separatam habere propriam subsistentiam; tu vis eam incepisse in instanti creationis, ne postea incipiat in morte (quasi in hoc esset aliquid absurdum:) ego dico primo in morte incipere, quia non fuit necessum antea duas ponere, vnam pro illa, & alteram pro materia; in morte vero incipere, quia tunc iam est necessaria. Proculdubio non potest negari, hunc discursum meum magis conformari exigentis naturae, quam tuum, quando aliunde nihil obstat, vt non obstat in praesenti iam vidimus. quare autem vbiaciones distinctas cuiuslibet parti tribuamus, ex quo forte posset aliquis contra nos arguere, diximus suo loco.

SECTIO X.

An vnio materiae & forma terminetur subsistentia.

76 **Q**VAERES, vtrum etiam vnio materiae & formae terminetur aliqua subsistentia, quae vel sit propria vnionis, vel totius compositi. Aliqui respondent cum distinctione: nam subsistentia vel est res, vel modus. Si res, non poterit vniri cum vnione animae & corporis, quia deberet vniri vnione distincta (sicut vniuntur omnia, quae non sunt modi) ea autem vnio, cum etiam esset de conceptu substantiae, deberet rursus terminari alia subsistentia, & sic in infinitum. Si autem subsistentia sit modus, licet non sit improbabile, per eam terminari vnionem animae & corporis, adhuc docent, esse probabilius id non praestari ab ea, quia subsistentia est terminus naturae, vnio autem non est natura. Quod confirmant a simili: quia Verbum diuinum non terminauit vnionem animae & corporis, sed solum materiam & animam rationalem.

Non placet haec doctrina. Et quidem quoad primam partem: nam etiam si subsistentia sit res absoluta, ideoque vniatur cum vnione animae & corporis per secundam vnionem, non tamen ideo secunda haec vnio deberet per alteram subsistentiam terminari (vnde nullus est processus in infinitum) nam haec secunda vnio esset modus subsistentiae.

Ideoque sicut ipsa subsistentia non terminatur altera subsistentia, ita nec modus illius, id est vnio. Sicut etiam actio quae producitur vbiatio, non petit alteram vbiacionem, quae in loco constituitur, & idem est de alijs modis, qui, eo quod pertinent ad rem quam modificant, non indigent ipsi noua forma in se recepta pro eo effectu formali, qui in eorum subiecto reperitur. Et hoc specialiter probatur contra hos in subsistentia, quia haec solum est perfectio naturae, vt ipsi docent; at ipsamet subsistentia & vnio illius non est natura, vt per se patet, ergo non est necessum, eam vnionem terminari subsistentia.

Porro autem, vnionem materiae cum forma debere terminari (quo & secunda eius sententiae pars rejicitur) probatur manifeste, retorquendo eorum argumentum: nam vnio materiae & formae est aliquid essentiale componens intrinsecè naturam, quam ipsa materia & forma (sive eam voces partem, sive non, quod erit quaestio de nomine per quam non debet difficultas de re confundi) nam materia & forma solum sunt tota essentia naturae, alia illa essent absolute naturae humanae, nec potest dici, vnionem esse connotatum, quia hi merito talia connotata rejiciunt: ergo vnio est a liquid intrinsecè & naturaliter constituens naturam non minus quam materia & forma. Cum ergo subsistentia sit complementum naturae, certè debet dicere, eam non minus esse complementum vnionis quam materiae & formae, quia in re aequè constat natura ex vnione, quam ex forma & materia: per hoc autem, quod vocetur pars vel non vocetur, nihil impeditur, vt dixi: nam subsistentia non ideo debet terminari, quia dicitur pars, sed quia in re intrinsecè constituitur adaequatè naturam, quod etiam habet vnio. Instantia autem de Verbo diuino aequè est incerta, ac tota sententia, imò cum Verbum diuinum naturam humanam assumpserit, non verò praecise eius partes, ego puto probabilius, assumpserit etiam vnionem. Quod si in Verbo est aliqua difficultas, propter quam non assumpserit vnionem (de quo alibi) non licebit ex eo ad alias subsistentias argumentari, vbi non est ea difficultas specialis. In hac re tam incerta probabilior puto hanc secundam partem, scilicet etiam vnionem terminari subsistentia, quia, vt dictum est, proprie est constitutiva naturae, sicut anima & corpus, nec ideo quid hic nouae difficultatis possit occurrere.

SECTIO XI.

An subsistentia distinguatur à natura.

EXPLICATO effectu formali subsistentiae, nunc de eius à natura distinctione agendum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia quadam reiecta.

DVRANDVS in 1. dist. 34. quaest. 1. num. 15. docet, suppositum & naturam in rebus creatis solum distingui penes diuersum modum significandi abstracti & concreti: natura enim significatur non per modum concreti, sed abstracti; suppositum verò per modum concreti, licet in